sopire velle, quandoquidem hoc sine speciali consensu Sedis Apostolicae, quae ad praesens vacat, fieri non potest, nec quidquam hoc in puncto DD. Commissarijs concludendum committitur. Et tertio ut feliciter Summo Pontifice, efficiat S. R. M. ut Congressus personarum Spiritualium utriusque partis, et colloquium instituatur, in quo omnes Controversiae ratione praemissorum sopiri possint.

Quod si hic modus non successerit, alter gradus est, ut quemadmodum immediate ante bellum Ecclesias et Monasteria tam et bona et spectantia tam Uniti, quam disuniti habebant et possidebant ita, et ad praesens habeant, et possideant. Ad extremum si et hoc non successerit, iam tenenda essent pacta Hadiacensia, prout in volumine legum inserta, et Juramentis comprobata extant. Caute tamen hoc in passu procedent DD. Commissarij et sedulo allaborabunt, quatenus duobus prioribus modis, aut ex ipsis alterutri Cosacci acquiescant, hoc maxime considerato, ne et Unio aliquid detrimenti patiatur et hicce tractatus abrumpatur, praesertim quod Illmi D. Epi Hadiacensibus pactis contradixerunt.

Quare si quid iniuriae Dni Disuniti a quoquam ex Unitis patiuntur, agant ordinaria Juris via in Supremo Regni Tribunali. Ad quem finem inibunt DD. Commissarij cum Commissarijs Cosaccij modum, et speciale regestrum, et tempus iudicandi talium Causarum assignabunt, ut nimirum